Quelle: https://manuscripta.at/?ID=886
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

egredientis centri maioris egressionis a centro eius. tunc acceptio est
secundum rem simpliciter et sicut si centrum orbis revolutionis moveretur super
orbem ipsum egredientis centri. Et tabula quarta est ea que compre-
hendit superfluitatem que aggregatur ex additionibus et diminutionibus
propterea quod centrum orbis revolutionis non super hunc orbem cuius processit nar-
ratio revolvitur. sed super alterum. Modus autem quo invenimus utrasque ha-
rum duarum rerum simul et singulariter secundum viam linearum iam leviter
scitur per figuras plures quas premisimus et posuimus in loco alio ab
isto quia intendimus firmare has duas intentiones in libro. Melius quoque
nobis est. ut sciamus hanc equationem diversitatis comparate ad orbem
signorum visibiliter et ideo posuimus eam in duabus tabulis. Sed tamen fu-
isset esset per ipsam operari et agere contenti eramus tabula una et est ea
que est comprehendit augmentum et diminutionem inventa in hiis duabus
tabulis tercium autem tabularum que sequuntur has duas quoque compre-
hendit augmenta et diminutiones que sunt propter orbem revolutionis.
et iste etiam sunt accepte secundum rem simpliciter et secundum quod in longitudine
longiore et longitudine propinquiore utriusque earum non operatur nisi secundum
duas longitudines a visibus meis et secundum quod modus in declaratione eius
etiam iam facilius sciatur per figuras quas nos prius posuimus et tabula
media harum duarum tabularum et est septa a prima tabula comprehendit aug-
menta et diminutiones que aggregantur secundum longitudines medias. Quin-
ta vero comprehendit summam superfluitatis que est in diversitatibus sitibus
illis eisdem inter augmenta et diminutiones in maiori longitudine. et inter ea in
longitudine media. Tabula vero .6.ma comprehendit summam superfluita-
tis que est inter augmenta et diminutiones in minori longitudine inter ea in lon-
gitudine media. Nos enim iam determinavimus quod secundum partes quibus linea
que est a centro orbis revolutionis que est stelle saturni quidem est namque
melius invenimus ut incipiamus a superiori est 6. partes et 30. minuta et stelle Iovis
11. partes et 30. minuta et stelle martis 39 partes et 30. minuta et stelle veneris
43 partes et 10. minuta et stelle mercurii 22 partes et 30. minuta et longitudo
earum media 60. partes scilicet longitudo que reperitur per comparationem ad li-
neam egredientem a centro orbis egredientis centri deferentem orbem
revolutionis et quod minor longitudo. earum secundum centrum orbis signorum est stel-
la quidem saturni est 63. partes et 24. minuta Et in stella Iovis est 62. partes
et 24. minuta. Et in stella martis 66 partes et in stella Veneris 61 partes
et 14. minuta. et in stella mercurii 69 partes et quod minor longitudo. secundum id
exemplum in stella saturni est 46 partes et 24 minuta Et in stella Iovis.
41 partes et 14. minuta Et in stella martis 42 partes et in stella veneris
48. partes et 24. minuta Et in stella mercurii. 44. partes et 32 minuta Tabu-
lam autem sequentem eas et est octava ordinamus quoniam ex ea sumuntur
partes que pertinent superfluitatibus quas narravimus cum non fuerint orbes
revolutionis stellarum in alia longitudine media a maiore ad minorem.